



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 6. S. Benno Episcopus iniuriosum Marchionem ad diuinum se sistere
tribunal iubet; nec sine effectu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

non frustra, ad Dei tribunal prouocasse. 103

niæ indignitas testem, omni exceptione maiorem, haberet. Quod si igitur Sancti vel ipsos mortuos è sepulchris ad humanum audent tribunal euocare; cur non auderent viuos citare, easdem ob causas, ad tribunal diuinum? nempe, vt aut se, aut sua, aut, quæ sunt Ecclesiæ, tueantur?

§. VI.

S. Benno Episcopus iniuriosum Marchionem ad diuinum se sistere tribunal iubet; nec sine effectu.

Sua & Ecclesiæ bona defendit hac citatione Stanislau⁹, ac se ipsum quoq; à calumnia. Idem fecit S. Benno Misnensis Pontifex, dum ad diuinum tribunal Dei, Marchionem iniuriosum, certo tempore præscripto, venire iussit. Rem totam ex bulla canonizationis Adriani Pontificis Hieronymus Emserus, atq; ex hoc Raderus, his verbis tradidit. *Marchio quidam Misnensis ad rem auidior, cum per summum scelus in possessionem bonorum Ecclesiæ Misnensis irruisset, Beatus Benno hominem rectè facturum affirmavit, si ea, quæ ipsi Ecclesiæ Misnensi eripisset, restitueret; sin minus, Deum aliquando, pro tanta improbitate, pœnas ab eo experiturum. Quibus verbis homo furens concitatus Sanctissimum virum alapa percussit. Tunc Beatus*

Matthæus Raderus volumine 3. Bauar. S. pag. 185.

diuino spiritu afflatus; hanc tantam iniuriam,
 inquit, hoc eodem tempore, sequentis anni De-
 us omnipotens vlciscetur, quem Marchio ille
 proteruus atque superbus irrisit, ac paulò post
 Beatus Benno agrotare cepit, & breue futurum
 sperans, ut ex hac vita ad superos, quorum
 consuetudo dulcis est atq̄ eterna, migraret &c.
 Postea è vita excessit, & id quidem quadrage-
 simo pontificatus sui anno, post Christum natū,
 millesimo centesimo sexto, &c. Marchio, de
 quo paullo antè fati sumus, cum tempus illud
 euenisset, quo sanctus vir ipsum Marchionem
 pœnas daturum prædixerat, in hanc vocem
 prorupit: Benno, superiori tempore, nescio, qd
 periculi nobis, hodierno die, euenturum mina-
 batur; mortuus est ille, non igitur est, quod no-
 bis timeamus. Vix ille hæc verba finierat, su-
 bitò consternitur, & auxilium eorum, qui ade-
 rant, implorans, miserandum in modum, ac
 magno cum dolore & gemitu, moritur. Hinc
 facile concipi potest, diuinam potestatem diuino
 homini communicatam esse. Ita pro se,
 pro Ecclesia, Benno ad diuinum
 iudicium appellauit.

